



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 1. Vtrum per hanc scientiam Christus cognouerit omnia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

QVÆSTIO XII.

De Scientia Acquisita Animæ Christi.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum per hanc Scientiam Christus cognouerit omnia?

¹
Omnia
qua viri-
bus natura
possunt
cognosci.

Respondetur; per hanc cognouisse omnia quæ vniuersam naturæ viribus, possunt cognosci. Patet ex suprâ dictis q. 9. a. 4. Aduerte; Christum per hanc scientiam naturalem non solum cognouisse omnia, quæ vi intellectus agentis possunt cognosci; id est, quorū species intelligibiles intellectus agens ex sensibilibus potest effingere: sed etiam substantias spirituales, eo modo quo animæ separatae possunt illas naturali lumine cognoscere. Ratio est; Quia cum anima Christi esset beata, non habebat illam dependentiam à corpore in intelligendo, quam nos experimur; sed non minus in corpore quàm extra corpus poterat naturas spirituales intueri: vnde etiam seipsam naturaliter intuebatur: Sicut & anima separata.

Substantia
spirituales.

²
Essentia
nuda.

Præterea, poterat cognoscere naturas rerum corporearum, non solum sub conceptu sensibilium, sicut nos (qui modus est valdè imperfectus) sed etiam conceptu proprio nudæ essentia: quo modo nos in hac vita non possumus. Notandum tamen, ad hæc opus fuisse speciebus infusis, quales imprimuntur animæ separate simul atque est à corpore separata: nam omnis species à sensibilibus hausta, sensibili modo substantiæ rei proponit, nõ autem vt ipsa est in se nuda. Videtur etiam omnino opus fuisse ex parte potentia intellectiua peculiaris quidam Dei influxus, vel immediatè in ipsum actum intelligendi, vel certè in ipsam potentiam intellectiua, ad lumen naturale corroborandum, vt hæc obiecta, & hoc modo, posset intelligere. Hoc tamen auxilium videtur pertinere ad naturæ ordinem: cum enim intellectus humanus sit infimus, non potest pertingere ad summam perfectionem naturalem sine diuino auxilio. Vnde etiam in statu nudæ naturæ, hoc auxilium datum fuisset. Hinc sequitur hanc perfectionem naturalem, perfectiorem fuisse in Christo, quàm in Adamo; imperfectiorem tamen quàm in Angelis.

Ad hanc
cognitio-
nem neces-
saria erant
species in-
fusæ.

Item pecu-
liaris Dei
influxus.

Hæc perfe-
ctio fuit in
Christo
maior quàm
in Adamo,
sed minor
quàm in
Angelis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus in hac Scientiâ profecerit?

³
Profecit
non in ha-
bitu.

Respondet D. Tho. Christum in hac scientiâ profecisse secundum habitum, & incrementum ipsius scientiæ habitualis. Sed nos suprâ q. 7. a. 12. dub. 3. ostendimus ex Patribus, Christum non profecisse in Sapia, nisi secundum exercitium, & ostensionem, prodendo sensum exterius

maiores sapientiam in dictis & factis suis, sicut & gratiam.

Dicitur tamen profecisse in scientiâ experientiali: quia in dies plura experiebatur per sensum; & horum in intellectu remanebat memoria, quæ dicitur scientia experimentalis. In nobis oritur quidem per experientiam absoluta scientia, & non solum memoria: secus tamen fiebat in Christo, qui ab initio omnem scientiam absolutam habuit infusam; vt suprâ ostensum est q. 9. art. 4. dub. vnico.

Petes; In quo consistat hæc scientia experientialis? Respondeo; non solum in speciebus singularium, sed etiam in habituali cognitione eorum; quatenus aliquando actu, per sensum cognita fuerit.

In quo fa-
si scientia
experimen-
talis.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus aliquid ab homine didicerit?

Respondetur, Nihil vniuersum ab aliquo homine didicisse. Ratio est, Quia ipse erat constitutus Magister & Doctor vniuersalis omnium: ergo non erat conueniens, vt ab aliquo aliquid disceret. Dices; Christus per scientiam humanam nõ cognoscebat secreta cordiū, neq; absentia: ergo hæc poterat discere ab hominibus suas cogitationes explicantibus, vel absentia nuntiantibus. Respondeo Negando Consequentiam: quia Christus numquam assentiebatur his per scientiam humanam, sed per infusam; per quam, & absentia, & cogitationes cordium intuebatur: alioquin expofisset se periculo deceptionis.

⁴
Negatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Christus aliquid acceperit ab Angelis?

Respondetur; Nihil didicit ab Angelis. Probatur ex Dionysio cap. 7. caelest. Hierarchiæ, vbi docet Christum docuisse etiam supremos Angelos. Confirmatur; Quia non conueniebat, vt is, qui supra omnem creaturam substantialiter eleuatus erat, ab aliquâ creaturâ aliquid disceret; præsertim cum à seipso omnem perfectionem habere posset.

Circa solutionem primi argumenti: Nota Angelum potuisse confortare Christum, non quidem docendo, vel proponendo aliqua, quæ ipse vel ignorabat, vel ipse per se considerare non poterat; sed proponendo ea, quæ etsi ab ipso per rationem supernaturalem, & scientiam infusam considerarentur, non tamen ita considerabat, vt ex illis consolatione acciperet, & tristitiam leniret. Vt hanc

Qua modo
Christus
ab Angelis
in horto
conforta-
tur.